THOMAS EBENDORFER
um 1454 (nach Wasserzeichenbefund)
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=554
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift





suam. In fide et lenitate sanctum fecit illum similem et mundum, quia fides et lenitas eius erat deo acceptabilis, et elegit eum ex omnibus carne stilicet in monte Synai, elegit eum ut praeesset populo, audiuit eum stilicet eum in monte Synai, quod dedit ei legem et vocem ipsius praecepta vite eius eo loquente in nube. Unde sequitur et induxit illum in nube. Et dedit illi cor ad praecepta id est intelligentiam praeceptorum, et legem vite et disciplinae ad docendum stilicet populum.

Ecclesia autem dei hanc epistolam legit de confessore non pontifice, in qua sanctus confessor commendatur tripliciter.

Primo, ex gratia qua placuit etiam omnibus deo et mundo, et sic dicitur dilectus deo et hominibus.

Secundo ex memoria qua redolet fama et sanctitate mortuus in sepulchro, et sic dicitur, eius memoria in benedictione est.

Tertio ex gloria qua resplendet assumptus in celo. Unde sequitur similem illi fecit in gloria sanctorum. In vita enim dilectus in memoria benedictus et in gloria sanctus. Ipse primo dicitur dilectus deo, eius seruiuit, et hominibus quos verbo edificauit, quod maxime facit famosum. Ipse propter multa signa conmorat deo dilectos. Primo propter cordis mundiciam, secundo illud Proverbiorum 22. Qui diligit cordis mundiciam, propter gratiam labiorum habebit amicum regem id est ipsum. Unde Johannis 14. Vos amici mei estis si feceritis ea, et inter hec omnia est mundicia cordis. Matt. 4. Beati mundo corde, sic dominus dilexit Johannem, ut patet Johannis vltimo, qui cum mundo corde recta docet, annumerabit amicis dei de quibus in ps. dicitur. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui deus, quisquis enim gratiam labiorum recta predicando premonstrat, cordis autem mundiciam custodit dissimilat nequaquam dicit regis amicitia perfui putandus est ut dicit Beda in Dugmali.

Secundo propter sapientiam secundum illud Sapie. 1. Nemine dilexit deus nisi qui cum sapientia moratur, sicut dominus dilexit Salomonem tri Reg. 3. et dominus dilexit eum.

Tertio propter iusticiam, sicut ipse dilexit iusticiam. Unde in ps. centesimo 44. dicitur, dominus dilexit iustos, et Proverbiorum 21. qui sequitur iusticiam adhaerebit a domino. Glosa dominus erexit eos per humilitatem et dilexit custodiendo. Ita sic dilexit adolescentem, de quo Marci 10. Iesus autem intuitus